



# Renati Des-Cartes De mechanica tractatus, una cum elucidationibus N. Poissonii

<https://hdl.handle.net/1874/10225>

RENATI DES-CARTES  
DE  
**M E C H A N I C A**  
**T R A C T A T U S**  
UNA CUM  
**E L U C I D A T I O N I B U S**  
N. POISSONII.

E Gallico sermone in Latinum translatus.

*Ars est naturæ jungenda , nec artis expers naturæ  
conficietur opus.*

# DEDICATIO.

*Plurimum Reverendo Abbati*

D E

# R O U C Y

D E

# SAINTE PREUVE.



Gnoro equidem, Vir summe Reverende, annon satius omnino fuisse absque ullis notis hoc opus me publici fecisse juris, quam nonnullorum secutum esse consilium, ad id me exhortantium, ut loca difficiliora elucidarem, quo unusquisque, qui modò naris obesæ non omnino es-  
set, mentem Cartesii percipere posset. Illorum in me amo-  
rem hoc consilium satis prodere non inficior, sed tamen,  
ne quod mutare non amplius est integrum, multum vitu-  
perem, id sentio, tractatus hosce nudos, & quales ab au-  
toore conditi erant, edendos fuisse, cum injuria quasi in-  
feratur Cartesio, dum ipsius scripta, ut ab omnibus re-  
ciperentur, alieno creduntur indigere calamo. Quod si  
ne primis quidem Mechanicæ, cui soli nostras adjecimus  
annotationes, imbutus quispiam esset rudimentis, hunc tamen  
facile credideris magni esse facturum tanti viri nomen, cu-  
jus opera, licet etiam de ipsorum pretio nobis non constet,  
thesauri tamen instar investigari merentur. Imò si quidam

populi in Deorum suorum templis obscuritatem amaverunt, ut eo magis illa veneranda redderent, inque iis non nisi mysterio plena peragi, hominibus persuaderent; eadem quoque ratio requirere videretur, ut Cartesii hypothesibus non plus lucis, ac ab authore ipso habent, afferretur, quò ab eas percipientibus approbarentur, illis verò, qui eas suum transcedere putarent captum, propter authoris aestimationem cœco assensu & citra deceptionis metum reciperentur.

Tractatus de Musicâ talis adhuc est conditionis, ut hac sit approbatione dignus. Præterquam enim quod priorum editionum mendas sustulerim, quodque inutile & superfluum esse autographo docebar, refecarim, versionemque adornarim, alia adjicere mihi per otium non licuit. Nam quæ sub finem adjeci, non sunt nisi partes solutæ, quibus difficiliora obscurioraque loca non enucleantur; suntque tantum quarundam Epistolarum epitome, in quibus ad quæstiones varia occasione mihi propositas responderam. Alter de Mechanicâ tractatus minorem quidem elucidationem requirebat: nihilominus tamen quia loca quædam intricata videbantur, hinc occasionem cepi, ut notis meis, præter alia particularia, id insererem, quod ad libros difficiliores consimilis argumenti legendos necessarium esse videbatur, atque ita fusiores in Musicam commentationes, quarum ope Cartesii aliorumque scripta facillimè intelligantur, in aliud rejici tempus.

Ex hisce paucis, Summe Reverende Abbas, intellexisti, credo, cuinam opus hocce ortum suum acceptum ferre debeat, & quemadmodum, cum ab initio solam tantum Mechanicam edere constituisse, Notas composuerim duarum modo plagularum spatio comprehensas, quæ deinde ad plura nonnulla se extenderunt, ut, si Musica, cuius nullum ferè in Gallia adhuc superest exemplar, ei adjungeretur, volumen fragmentorum, à Clerselerio in tertii literarum Voluminis

præfatione promissum inchoaretur. Idcirco isthoc de meis quicquam edendi propositum ex mera eorum, quos magni facio, judicii observantia potius, quam aliquo scribendi pruritu est enatum. Te minimè fugit, quomodo Physicis & Mathematicis nunc delester, illamque deseruerim sententiam, quâ statuebam, hisce qui operam navaret, studium ex omnibus quam maximè rationi consentaneum excolere. E contrario verò nunc ea usque adeo parum cum meæ vitæ ratione commune habere puto, ut scientiarum harum curiosa cum altaris sacræ conciliare mihi prorsus sit difficile. Libenter quoque iis assentirem, qui Eusebii Emisseni ad Episcopatum factæ electioni suum adjicere nolebant calculum, quod, referente Socrate, Mathesin docuisset; imò ad majorem illis contemptum conciliandum pulchris illis Eusebii Cæsariensis verbis, quæ de asseclis Artemonis differens usurpat: *Relictis & depositis sacrarum litterarum studiis, omni cura & cogitatione in Geometriam incumbunt, tanquam ex terra editi de terra loquuntur*, omnino ute- rer, nisi Mathematicorum potius contemptum, & negle-*ctum Scripturarum, quam ipsius Matheseos, cuius optimus esse potest usus, cognitionem damnari scirem.* Sic Plato, quid Deus ageret, interrogatus, nullum judicabat laborem Deo digniorem, ac, quod respondebat, γεωμετρεῖν τὸν Σέον, quod *Geometriam exerceret*. Sanctum etiam Basilium, Augustinum, celebremque Didymum, (qui licet cœ-*cus* esset, ab Hieronymo tamen *Oculatus* appellabatur,) Dionysium denique cognomine *exiguum*, aliosque plures has sci-*tias* suo cum ministerio pugnare haud existimasse scio; quid? quod ipsis Alexandriæ Episcopis Calendarii adornandi cu-*ra* diu sit imposta, erroresque circa Pascha commissos emen-*dandi*, quod sanè citra exactam Planetarum illud determi-*nantium* notitiam fieri haudquaquam potuisset.

Hisce, quæ modo dixi, Vir plurimum Reverende, errores,

## D E D I C A T I O.

qui vel in versione vel annotationibus fortè irrepserunt,  
excusare potero ; de quibus eo libentius admoneri me pa-  
tiar , quo facilius , non obstantibus vel maximè stringentibus  
argumentis , mihi persuadeo , quotidie errare nos posse ,  
credereque , ea nobis perspecta esse , quæ tamen adhuc igno-  
ramus. *Adversus eos* , inquit August. Epist. 29. *qui sibi vi-  
dentur scire , quod nesciunt , hoc tutiores sumus , quod ignoran-  
tiam nostram non ignoramus.*

De animi tui , Vir Reverende , dotibus & in Ecclesiam  
meritis verborum hic nihil facio , quia præterquam quod  
tua modestia silentio me eas præterire jubet , tot etiam lin-  
guarum , quot tua novit Reverenda dignitas , facultate ad  
eas digne exprimendas instructus esse deberem . Quare per-  
mitte modo , ut cā , quæ mihi vernacula est , me dicam

*Tui Reverendi Nominis*

humillimum cultorem

N. P O I S S O N.  
Colleg. Orat. Sac.

N. POIS.



N. POISSONII  
**P R A E F A T I O**  
 I N  
**CARTESII TRACTATUM**  
 D E  
**M E C H A N I C A.**



*Uandoquidem generalem demonstrationum Mathematicarum ideam Philosophiae studio pre-mittendam esse, constans antiquorum fuit sententia, eum scilicet in finem, ut judicium nostrum ad istarum veritatum cognitarum regulam componere, neque facile erret, assuefacere queamus; nemo dubitavit unquam, quin Mechanica & cognitio ad ea, quae Physica & seu naturalis scientiae vocabulo includi solent, facilius intelligenda necessaria sit habita.*

*Dignum*

Dignum sanè erat hoc consilium præclaris hinc Antiquorum ingeniorum, quorum in Scholis hac suprema lex erat; optandumque esset, ut tam religiosè illos imitati essemus, quantum sectatores illorum in defendendis ipsorum placitis (qua amplexatos se esse, sibi, licet falso, persuadent) pertinaciam & acerbitatem præ se tulerunt. Haberemus fortassis hodie perfectum Philosophiaæ corpus, cum jam nihil præter particulas & membra nobis suppetat, in quibus tamen ingenia nonnulla schola jugo animose excusso, satis bene excelluerunt. Nec dubium est, quin Clarissimus Cartesius ad propositi sui, perfectum opus Medicinae, Mechanicæ, Doctrinaeque Moralis (ad quas totus Philosophia, quatenus ad hominem refertur, fructus reddit) nobis exhibendi metapsvenisset, nisi principiis, qua calunnia consuetæ, studii Mathematici, ut & experientie neglectus, præserit verò prajudicia corruperant, quibusque adeò instaurandis multum temporis studiique impendendum erat, superstruere debuisset. Hoc ferè indicat Epist. 8. Vol. II., quâ Fromondo Lovaniensi, cum ipsius Physicam, eo quod Mechanicæ methodo rerum figuræ, partium magnitudinem, situm, motumque consideraret, tanquam crassiorem rejecisset, hunc in modum respondet: Quod ego præ reliquis omnibus laude dignum judico, & in quo me omnibus antepono reliquis, quodque maximè jacto, meam scilicet philosophandi methodum esse talem, quæ nullam rationem admittat, nisi Mathematica evidensque fuerit, cujusque conclusiones certissimæ experientiæ sint superstructæ, id, inquam, ille improbat atque damnat. Nec mirari satis possum, quod non intelligat, Mechanicam istam ad hoc usque tempus usitatam, nihil esse aliud quam veræ Philosophiaæ partem, quæ postquam à vulgaris Philosophiaæ cultoribus rejecta est, ad Mathematicos se recepit. Hæc verò Philosophiaæ pars omnium adhuc integerrima minusque corrupta permanxit, &c. Sanè etiam hac est, cuius ope totam in

*in universum Physicam ab erroribus repurgavit, (in qua verum illud arcanum, quo tutissimam nobis traderet methodum, sine dubio videtur invenisse) viamque nobis ab erroribus, qui sensus fallere saepe solent, & à præjudiciis rationi tenebras offundentibus stravit liberam. Mechanica enim, quibus est usus, hujusmodi sunt, quæ & cum Mathesi, à quâ sua mutuantur principia, & cum Physica, corporum motuumque naturam explicante, quandam habent conjunctionem.*

*Quam optimè hoc observavit Aristoteles in Problematis suis Mechanicis. Mechanica, inquit, non ita mere versantur circa res pure naturales & sensuum objecta, ut non etiam ad Mathesin, cuius demonstrationibus fundamenti instar innituntur, pertineant: ἐπὶ δὲ ταῦτα τοῖς φυσικοῖς προσθήμασιν οὔτε ταῦτα τῶν πατῶν, οὔτε κεχωρισμένα λίαν, ἀλλὰ κοινὰ τῶν τε μαθηματικῶν θεωρημάτων καὶ τῶν φυσικῶν. Præterea cum Physicis nec omnino idem, nec ab iisdem etiam procul remota sunt, sed cum Theorematibus Physicis & Mathematicis aliquid commune habent. Hinc Galileus ab Hobbesio Anglo laudatur eo nomine, quod primus à multis retro seculis extiterit, qui de rebus Physicis sanè recteque Philosophari cœperit, quia intellectum suum à duro illo, quod præceptorum autoritas, falsusque antiquitatis prætextus ipsi imposuerat, jugo liberaverat, ut ita vindicaret ipsi pristinum ipsius jus, libertatemque, quod verum videretur, amplectendi, quodque secus, rejiciendi, aut saltem, donec magis declaretur, in dubium vocandi. Idem Galileus quoque debitum Mechanicis honorem reddidit. Cumque antea quamplurimi naturæ motus ad leges talis rationis, qua ipsos nunquam vel sensuum quidem auxilio cognoscere studuerat, exigere solerent, cælorum naturam atque motum, licet nunquam vel è fenestra observatum, definire præsumerent, cum denique de maris fluxus, atque refluxus altitudine, hypocasta licet non egressi, judicare vellent, fieri non potuit, quin tot lepidi sæpe casus acciderent, qui fabulam*

sub Philosophiae errantis titulo condituro abunde multam expeditare possint materiam. Licet verò Galileus naturam rerum in genere methodo, ut quidam volunt, aliquantum rudiori inquisiverit, in examine tamen corporum particularium, de quibus juxta regulas Mechanica locutus est, reprehendi non potest. Hocque ipsum pars est eorum, quae in votis Baco semper habuit.

Cavendum verò est, ne in ipso Mechanica vocabulo erramus, utpote quod non modo designat scientiam istam, quae machinas componere earumque partes nosse docet, verum etiam complectitur omnes diversos modos, quibus corpora se movent, secundum certas naturae regulas, quae in dubium vocari nunquam possunt. Sic universum cælum considerari potest tanquam corpus è multis partibus per certos motus, quos sibi invicem communicant, mutuo connexis compositum. Quæ motus, dispositionis, figura, partiumque situs consideratio totam constituit Mechanicam scientiam, cuius principia æque ac vel communissima demonstrationes infallibilia sunt. Eodem quoque modo corpus humanum considerari potest tanquam Automata seu Machina, quæ per partium, quibus constituitur, conjunctionem eo nobis quotidie conspicuo modo sese moveat. Si vero error committatur vel in partium ineundo numero, vel in figura, vel, ut verbo dicam, si per errorem corpori attribuantur motus tales, quales revera non habet, hic error scientia Mechanica non attribuendus est, sed perversa ipsius principiorum applicationi. Quam ob causam æque ea culpari nequit ac Geometria, quæ duobus adversariis, quorum alter Theorema idem defendit, quod impugnat alter, eadem subinde arma, demonstrationesque suas subministrat. Harum proinde disciplinarum fere eadem, quæ complurium aliarum rerum in se saluberrimarum, conditio est, quippe quas sapius ita corrumpimus, ut, cum alias per naturam suam saluberrima sint remedia, deinde in usu suo, quod dicit Augustinus, in mortiferum crebro degenerent venenum.

Quæ-

*Quaras itaque fortassis, qualis ergo fructus ex hoc tractatu capi possit, cum non nisi ad artificiales machinas è rotis, bilancibus, vectibus, &c. compositas pernoscendas conscriptus esse videatur, nec utilitatem lucemque majorem afferat, quam præstans aliquod & paulo supra vulgus sapiens ingenium suo marte, & sine ejus ope asequi potuisset? Ad quod repono, inservire hunc tractatum præter alia quoque cognoscendis machinis naturalibus, nimirum aëri, igni, aquæ, &c. Sicuti veritates Geometricæ merè speculativa lumen præbent veritatis Metaphysicis aliisque sensus transcendentibus. Nam prout haec exercent intellectum, eumque vero à falso discernendo assefaciunt; ita quoque Mechanicæ, cujus principia tradimus, cognitione disponit animum, ut, quemadmodum hujus universi partes reciprocè agant altera in alteram, facilius comprehendat. Id quod facili negotio per partes demonstrare possem, nisi sic anteverterem meum propositum, Cartesii Physicam per Theorematum & Problemata Mechanica digestam publicam in lucem aliquando emittendi, simulque in hoc opere, quas prægnantes causas habuerit Cartesius, cur non nisi Mathematicam & evidentem rationem admittere voluerit, commonstrandi.*

*Caterum mirari non debemus, quod totam Mechanicam tam paucis paginis complecti voluit. Praterquam enim quod τὸ μέγα βιβλίον ἵστορ μεγάλω κακῷ, magnum volumen magno simile sit malo, rationem hujus rei ipse reddit Epist. 82. Vol. 10. ubi canescere se conqueritur, aitque totum fere tempus suum Medicinæ se impendere; Sed tamen, addit, iccirco non intermittam, scriptum quod à me efflagitas ad te curare perferendum, cum præsertim tria modò folia desideres. Non enim sine gaudio hoc tibi affirmo, plus quam me ipsum Te posse à me impetrare, &c.*

*Dubitandum verò minimè est, quin hoc opus profectoris atatis tempore compositum sit instar fructus maturioris; cumque libri, quos vigesimo secundo atatis anno fecit, è qui-*

quibus est ille de Musicâ Tractatus , magni facti sint , hic sanè Tractatus eandem procul dubio laudem merebitur ; nisi forte , cum ipsius argumentum ad vulgi captum magis accommodatum sit , tale opus indignum prorsus tanto Viro dicere malis , utpote qui non nisi ad ea , quæ aliorum vires & facultatem excedunt , rimanda editus à natura videatur . Sed tamen si subtilem illam methodum quā tam paucis verbis Mechanicam doctrinam tradidit , consideremus , non multum mirabimur , Virum Reverendum Mersennum hoc ipso tractatu sua opera exornasse ; quod ipse Cartesius in Epist. 109. Volum. II. modeste testatur .

Sed prater spem in longiorem sermonem sum delapsus , ut sat prolixæ Praefationis spissò cuidam operi præmittendæ loco esse posse . Vela itaque ut contrahamus & ad rem ipsam nos accingamus , tempus admonet .

E X P L I C A T I O  
M A C H I N A R U M ,  
A T Q U E  
I N S T R U M E N T O R U M ,

*Quorum ope gravissima quaque pondera parvis viribus  
levari possunt.*




Achinarum harum omnium inventio unico tantum principio innititur, quod nimirum iisdem viribus, quibus pondus v. g. 100. librarum in duorum pedum altitudinem attolli potest, iisdem inquam aliud quoque 200. librarum in unius pedis altitudinem possit elevari.

Atque hoc principium non potest non admitti, si modo consideretur, actionem inter & effectum ab illa producendum semper proportionem quandam intercedere necessario debere: ita quidem, ut si actione eadem, quâ 100. librarum pondus in duorum pedum altitudinem attolli potest, aliud in unius modo pedis altitudinem elevandum sit, hoc 200. librarum esse debeat. Centum enim libras attollere in unius pedis altitudinem, & rursus centum tantundem elevare, idem est, ac 200. in pedis unius aut 100. in duorum pedum tollere altitudinem.

Instrumenta vero, quæ inseviunt tali modo applicandæ potentiae per magnum interjectum spatium moventi pondus, quod minoris cū jussdam ope attollit, sunt *Trochlea*, *Planum Inclinatum*, *Cuneus*, *Axis in Peritrochio*, *Cochlea*, *Vectis*, idque genus alia. Quod si enim ea inter se contendere nolimus, plura invenire possumus; si vero id faciamus, eorum numerum augere velle supervacaneum fuerit.

## TROCHLEA.


**R**epræsentet ABC funem ductarium Trochleæ D, cui pondus E annexum sit, circumductum. Duos jam ponamus homines, quorum quisque æqualiter teneat aut sursum elevet fu-



nis hujus extremitatum alteram; hic sanè evidens est, quod, si pondus ducentarum fuerit librarum, horum hominum quisque ad illud sustinendum aut sublevandum non majoris vires insumere debeat, ac ad centum libras sustinendas vel tollendas requiruntur. Unusquisque enim non nisi dimidiam fert ejus partem. Ponamus deinde, alteram hujus funis extremitatum A è clavo suspensam, alteram C turfus à quodam homine teneri. Patet hic iterum, hominem applicatum in C, ut pondus E sustineat, non majoribus, atque antea ad 100. libras sustinendas requisitis, viribus indigere, cum clavus versus A hoc loco idem præstet, quod homo, quem ibidem antea supponebamus. Fac denique, hominem istum applicatum in C, ut pondus E elevaret, funem ad se trahere; perspicuum sanè est, ipsum, si easdem vires, quæ ad pondus 100. librarum in duorum pedum altitudinem tollendum requiruntur, insumat, pondus E, quod est 200. librarum, in unius pedis altitudinem elevaturum esse. Funis enim ABC, quando, uti hic, duplicatus est, ejus extremitas C ad duorum pedum longitudinem protrahenda est, ut pondus E tantundem elevari possit, quantum alias ascensurum fuisset, si à duobus hominibus, quorum alter extremitatem A, & alter extremitatem C teneret, in unius solummodo pedis longitudinem protractus fuisset.

Semper tamen est, quod impedit, quominus hic calculus exactus esse possit, gravitas nimirum Trochleæ & funis circumducendi movendique difficultas; at verò hoc si comparaveris cum eo, quod

quod attollitur, valde exiguum est, nec potest ferme aestimari.



Denique observandum quoque est, vires illas non à Trochlea proficitci, sed tantummodo à funis motu, illius, qui ponderi est, motus duplo. Si enim adhuc alia Trochlea affigatur in A, cujus orbitae insitiat funis A B C H, non minoribus indigebis viribus ad H trahendum versus K, simulque hoc paēto tollendum pondus E, ac antea requirebantur ad trahendum C versus G. Quod si verò duabus hisce Trochleis adjiciatur insuper alia versus D, cui pondus annectatur, & quam idem complectatur funis, qui complectebatur primam, tum ad levandum pondus 200. librarum viribus non majoribus indigebimus, ac ad 50. libras sine Trochlea tollendas requiruntur; quia dum funis in 4. pedum longitudinem protrahitur, pondus non nisi in unius pedis altitudinem elevabitur: Sic itaque aucto trochlearum numero grandiores sarcinas vel minimis viribus elevare possumus.

Notandum est quoque, plus semper virium requiri ad tollendum, quam sustinendum pondus, quam ob causam de unoquoque separatim hic differuimus.

## PLANUM INCLINATUM.

**S**i cui non plus virium, quam ad centum libras tollendas, suppetat, idem ille verò corpus F, quod 200. æquat libras, elevare velit in altitudinem lineæ BA, huic nihil agendum est aliud, quam ut corpus istud trahat seu raptet

super plano inclinato CA, quod duplo longius ac linea AB suppono. Hoc enim modo, ut ad punctum A feratur, eadem modo vires insumentæ sunt, quæ ad 100. libras duplo altius elevandas requiruntur. Quo magis igitur hoc planum CA reddetur inclinatum, eo minoribus quoque viribus ad pondus F ipsius opesursum ferendum indigebimus.

Sed tamen ab hoc calculo subtrahenda est difficultas movendi corporis F in plano AC, si hocce planum lineæ BC, cuius omnes partes, æqualiter à terræ centro distare suppono, insisteret. Et sane verum est, impedimentum hoc, cum eo sit minus, quo planum durius, æqualius, magisque lævigatum fuerit, non posse ferme denuo æstimari, neque adeo tanti esse momenti.


Nihil hic considerandum magis est, quam planum AC, cum linea BC sit pars circuli Telluris circulo concentrici, aliquantum, et si pauxillum, convexum esse debere, figuramque habere partis lineæ spiralis inter duos circulos ex eodem terræ centro ductos descriptæ. Hoc enim nullo ferme modo observare licet.

## C U N E U S.

**F**acultas Cunei ABCD per se nunc facile intelligitur ex il-  
lis, quæ de plano inclinato jamjam dicta sunt. Vis enim,  
quâ deorsum pellitur, ita se movet, ut  
cum propellat secundum lineam BD,  
& lignum, aliudve corpus findendum,  
non hiscit, vel quoque sarcina, quam  
attollit, non elevatur, nisi juxta lineam  
AC, ita ut vis, qua cuneus pellitur seu  
deprimitur, eandem habere beat rationem ad ligni hujus vel sar-  
cinæ resistentiam, quam habet linea AC ad lineam BD. Ubi ta-  
men rursus ut exacti sumus, opus non est, ut BD sit pars illius cir-  
culi, AD & CD vero duæ portiones Spiralium, quæ idem, quod  
Tellus, centrum haberent, atque ut cuneus sit factus è materia tam  
perfecte dura & polita, ejusque gravitatis, ut nulla vis requireretur  
ad eum movendum juxta lineam BD.

## A X I S I N P E R I T R O C H I O.

**F**acile quoque intelligimus, potentiae rotam gyran-  
tis, vel paxil-  
lorum B axi seu Cylindro C, circum quem funis, cui pondus  
D elevandum annecti tolet, convolvitur, motum imprimentium,



eandem rationem esse debere ad pondus, quæ est cylindri ad circum-  
ferentiam circuli, quem describitur vel, quod eodem recidit r quæ  
c eff

## TRACTATUS

est unius circuli diametri ad diametrum alterius; nam circumferentiae eodem modo se habent ad se invicem ac diametri. Proinde si Cylindrus C habeat diametrum unius modo pedis, rotæ verò AB diameter 6. pedum fuerit, pondusque D gravitate sua exæquet 600. libras, sufficiet, si potentia in B centum modo libras levare possit.

Loco funis cylindrum C circumPLICANTIS, adhiberi potest minuscula rota, dentibus majorem rotam convolventibus instructa. Hoc pacto potentiam, quantum lubet, augere licebit, ut tamen non opus sit quicquam subtrahere præter illam movendæ Machinæ difficultatem; quod & in cæteris similiter observandum venit.

## COCHLEA.


**A**XIS in peritrochio, & plani inclinati facultate perspectâ, cochleæ vim intelligere & supputare haud difficile erit. Illa enim mere composita est è plano valde inclinato, super cylindro in gyrum se vertente. Quodsi itaque planum hoc tam inclinatum fuerit, ut cylindrus iste decies, verbi gratia, convolvendus sit, antequam ad unius pedis longitudinem in striato conceptaculo promoteatur, utque peripheria circuli, quem potentia illum circumagens describit, sit decem pedum, hinc quia numerus denarius in seipsum duætus producit 100., idcirco unus tantum homo cochleæ hujus ope æque valide premet, ac centum alii sine illa, si modo observetur, ut vires, quæ ei gyrandæ insumi debent, subtrahantur.

Locutus vero sum hoc loco de premendo potius, quam elevando aut movendo onere, eo quod ad illum potissimum effectum producendum cochlea vulgo adhibetur. Si vero illam tollendis sarcinis adhibere velis, ejus loco, quod in striato conceptaculo moveri cam facias, rotam ipsi adjunge pluribus instructam dentibus, hac ratione formatis, ut si rota habeat v. g. 30. dentes, eadem efficiat, ut non nisi tertiam circuitus sui partem cochlea absolvat eodem tempore, quo totum antea perfecerat. Quodsi jam pondus annexas funi, qui suâ circa rotæ hujus axim convolutione illud non nisi in unius pedis altitudinem attollat, dum interea rota integrum circuitum absolvit, circulique à potentia cochleam circumagente descripti peripheria est rursus 10. pedum; ideo quia

quia 30. decies multiplicata producunt 300., hujus instrumenti ope, quod cochlea infinita dicitur, unus tantum homo æque magnum pondus attollere poterit, ac trecenti valebunt sine eo. Modo observetur, ut denuo subtrahatur illius movendæ difficultas, quæ non propriè dependet ab oneris gravitate, quam potius ab instrumenti forma vel materia, sentiturque illa difficultas in hoc instrumento magis quam præcedentibus, quia majorem habet potentiam.

## V E C T I S.

**V**ECTIS explicationem in finem rejici, eo quod hoc oneribus tollendis inserviens instrumentum cæteris omnibus sit explicatu longe difficilius.



Ponamus CH esse vectem puncto O (mediante fibula ferrea per transversum eunte, aut alio quodam modo) ita innixum, ut circa illud punctum O moveri queat pars ipsius C describens semicirculum ABCDE, & altera pars H describens semicirculum FGHIK, utque pondere ab ipso tollendo existente in H, & potentia movente in C, linea CO ponatur tripla OH. Consideremus deinde, quod, et si pondus, interea dum potentia vectem movens totum semicirculum ABC

CDE describit, etiam describat semicirculum FGHIK, non tamen secundum longitudinem curvæ lineæ FGHIK semper elevetur, sed tantummodo secundum lineæ rectæ FK longitudinem. Ut proinde rationis mensura, quam potentia, quâ moveatur pondus, ad ejus gravitatem habere debet, petenda non sit ex ea

ea, quæ inter duas horum circulorum diametros, aut circumferentias duas intercedit, sed potius ex eâ quæ est inter circumferentiam circuli maximi & diametrum minimi, ut supra de axi in peritrochio agentes ostendimus. Præterea consideremus, neceſſe non efſe, ut hæc potentia perinde magna ſit ad veſtīm hunc in circulum movendum, dum eſt versus A vel E, ac quando eſt versus B aut D, nec æque magna, cum eſt versus B aut D, ac quando eſt versus C; cujus hæc eſt cauſa, quod pondus ibi minus atcedat, poſito, quod linea C O H horizonti ſit parallela, & ab A O F ad angulos rectos fecetur. Quod facile patebit, ſi punctum G ſumas æqualiter à punctis F & H diſtans, & punctum B à punctis A & C æequaliter remotum, ducta deinde lineā perpendiculare in F O, animadvertas lineam F S, quo gradibus atcedat pondus interea dum potentia ſecundum lineam A B movetur, no-tantem, longè minorem eſſe lineā S O, quæ, quantum idem atcedat, potentia ſecundum lineam B C mota deſignat.

Ut vero exacte rationem inire poſſimus, quomodo hæc potentia in singulis curvæ lineæ A B C D E punctis habere ſe debeat, ſciendum eſt, eam prorsus ſimili modo ibi moveri, ac ſi pondus ſuper plano circulariter inclinato traheret, ſingulorumque hujus plani circularis punctorum inclinationem mensurandam eſſe juxta inclinationem lineæ rectæ, circulum in hocce punto tangentis. Sic v. g. ut ſcire poſſis, qualis potentia in punto B existentis, ratio eſſe debeat ad ponderis tum punctum G occupantis gravitatem, ducenda eſt linea tangens G M, ſtuendumque, ponderis gravitatem ad potentiam, quæ ad illud ſuper plano trahendum & conſequenter ſecundum circulum F G H tollendum requiritur, ita ſe habere, ut linea G M ad S M. Quia jam B O eſt tripla O G, non opus eſt, ut potentia applicata in B ſe perinde habeat ad pondus in G, ac tertia pars lineæ S M ad totam G M. Eodem modo, cum potentia eſt in punto D, ut ponderis tunc in punto I conſtituti gravitatem noſſe queas, ducatur linea contingens I P, lineaque recta I N horizonti ad perpendiculum iſiſtens; tum eſt punto P pro arbitrio in hac linea I P aſſumpto (modo ſit infra punctum I) ducenda eſt P N eidem horizonti parallela, ut ſic inventa ratione, quæ eſt inter lineam I P & tertiam partem lineæ I N, ſcias quoque eam, quæ eſt inter gravitatem ponderis & potentiam ad illud movendum in punto D applicandam. Idem de cæte-

cæteris judicium esto. Excipendum vero hic semper est punctum H, in quo quia contingens horizonti perpendiculariter insitit, pondus non potest esse nisi triplum potentiae, quæ, si pondus movere debeat, in C constituta sit necesse est. Excipi quoque debent puncta F & K; in quibus quia contingens eidem horizonti parallela est, minima etiam, quam determinare libuerit, potentia huic ponderi movendo par erit.

Porro, ut quam exactissimus sit calculus, observandum est, lineas GS & PN partes esse debere circuli, quæ idem cum terrâ centrum commune habeant; GM vero & IP partes linearum spiralium duos inter ejusmodi circulos ducentarum; lineas denique rectas SM & IN, quæ ambæ versus terræ centrum tendunt, non esse exacte parallelas; præterea punctum H, in quo contingenter horizonti ad perpendicularm insistere suppono, et si vel minimum proprius esse debere puncto F, ac puncto K, quibus in punctis F & K contingentes eidem horizonti sunt parallelæ. Hisce positis quælibet circa stateram occurrentes difficultates solvi facile poterunt, commonstrarique, quod positi illâ, quam potest, exactissimâ, ejusque centro in O, quo illa sustentatur, tanquam puncto indivisibili concepto, quod de vecte modo supponebam, si ipsius brachia inclinent modo in hanc modo in illam partem, id quod altero inferius fuerit, semper etiam eodem gravius futurum, ita ut gravitatis centrum in quocunque corpore non sit fixum & immobile, quemadmodum id veteres supposuerunt. Quod à nemine, quod sciām, adhuc observatum est.

Postremæ vero hæ cogitationes nihil ad usum faciunt, illisque, qui novas excogitare machinas student, magis expediret, ut nihil hoc in argumento scirent præter ea, quæ literis de eo jam consignavi. Sic enim metuere non deberent, ne in calculo suo fallerentur, ut sæpe iis, dum alia supponunt principia, usu venit. Cæterum machinæ hic explicatæ diversis in infinitum modis applicari possunt, restantque infinita adhuc alia in Mechanicis consideranda, quæ jam non attingo, quia tria nunc folia implevi, tuque plura non desiderasti.

F I N I S.

N. POISSONII  
 OBSERVATIONES  
 IN  
 CARTESSII TRACTATUM  
 DE  
 M E C H A N I C A.



*Achinarum harum omnium inventio tantum unico ini-  
 nititur principio, &c.] Principium istud, de quo  
 Carteius Epist. 73. Volum. I. jam tum egit, to-  
 tius Mechanicæ ideam in se complectitur, & ex  
 hoc fundamento quoque Galilæus in libro, qui  
 inscribitur: *Dell' utilita che si cava della scienza  
 Mechanica, & di suoi sfromenti*, ostendit totam  
 utilitatem, quam diversæ machinæ & instrumenta afferre nobis  
 possint, ut vires, diversis alioqui momentis adhibendas, uno mo-  
 mento colligamus.*

Licet vero hoc principium per se satis sit perspicuum, quod sci-  
 licet qui ponderi 100. librarum in duorum pedum altitudinem elevan-  
 do par fuerit, idem quoque aliud 200. librarum in unius pedis al-  
 titudinem tollere queat; majoris tamen illustrationis gratia ponam  
 mus, intra duo horæ momenta 100. librarum pondus in duorum pe-  
 dum altitudinem quempiam elevare posse; de eodem non est du-  
 bium, quin, si vires, quas duorum momentorum illorum spatio  
 impendebat, in unum colligat momentum, duplum ponderis, du-  
 centarum nimirum librarum, elevare possit.

Quod

Quod adstruit Cartesius ratione spaci, idem quoque respectu temporis aut celeritatis obtinet. Nam sicuti cum onus quoddam, cui levando foli eramus impares, instrumentorum ope attollimus, vires utique acquirimus, ita tamen altera ex parte aliquid etiam spatii perdimus, cum hoc 200. libr. pondus non nisi ad dimidium istius altitudinis, quam aliás, si centum modo librarum fuisset, attingere potuisse, evehere queamus. Similiter quoque sit, ut, si hoc 200. libr. onus, ope vectis, sine quo non nisi centum libras attollere poteramus, levare velimus, duplum temporis insumentum sit. Unde sequitur, quotiescumque machinarum ope vires lucrari velimus, toties necessario quoque spatii aut temporis cujusdam partis jacturam patientam nobis esse.

Horum celeritatis atque spatii principiorum beneficio Galilaeus & Cartesius machinarum effectum explicarunt. Qui duo Magni Viri, licet inter se non consentire videantur, quod ipsem Cartesius Epist 92. Volum. II. his significat verbis: *Quod ad eos attinet, qui objiciunt, me in reddenda rerum Mechanicarum ratione, Galilai exemplo, celeritatem potius, quam spatium considerare debuisse, hos ex eorum credo esse numero, qui non nisi juxta phantasiam hac de re differunt, conciliari tamen aliquo pacto possunt, ostendique, quod per utriusque principia Mechanicæ effectus æque bene explicentur, neque aliud sit discrimen, quam quod alter magis naturali facilitiore utatur methodo.*

Considerandum præterea quoque est, non absolutâ nos gaudere vires nostras dispensandi potestate, crebroque contingere, ut, quas successu temporis insumimus vires, easdem simul omnes uno eodemque momento exferere nequeamus. Membra enim nostra tubulorum instar sunt, qui transeuntem quidem aquæ cadum commode continere possunt, non vero omnem, quæ ibi hæret, aquam, cum ad hanc recipiendam non satis sint ampli. Sic multos quidem videoas, qui fossam quindecim pedes latam decies continuata serie transfilire possint, sed nunquam inveneris ( nisi forte Bohemus ille fuerit, de quo Mersennus loquitur ) qui fossam 150. pedes latam superare possit, et si ad præstandum unum non majores prope vires, quam ad alterum requirantur.


Hac in imbecillitate Ars & industria naturæ defectus supplerunt, difficultatesque, quas altera nobis objicit, alterius ope superamus. Nam quod ait Antiphon apud Aristotelem: *πίχτης*

γὰς καρπέμεν, ἀν φύσιν νικάμεθα. Arte assequimur, que per naturam non possumus. Sic verbi gratia, si initio pondus mille librarum attollendum fuisset, nostræ vero vires non nisi centum libris levandis fuissent pares, haud fuisset difficile invenire tale medium, quo illud efficere potuissimus. Institui vero res ita potuisset, ut totum pondus in decem partes æquales divideretur, quarum singulæ essent 100. libræ, quo pacto viribus nostris succurrere potuissimus. Sed quoniam hæc sarcina æque potuisset esse quædam Phidiæ statua, ac informis lapidum massa, hic potius, ne transferendum corpus destrueretur, veste utendum mihi videtur.

Subjungitur deinde hujus regulæ applicatio. Ille enim homo, qui tenet extremitatem funis C, dum 200. librarum pondus, cui levando ante impar erat, jam à clavo A suspendit, illius tenendi medium omnino quidem invenit, sed tamen cum hoc pacto dimidia parte oneris sese deonerat, duplum temporis spatium impendere oportet. Duplo enim longius aut sèpius funem attrahere debet, ac fecisset, si idem 200. librarum pondus, à clavo non suspensum, levare potuisset, vel etiam si alii homini eam funis extremitatem tenendam tradidisset, cum quo dimidiari oneris partem participasset, dum ipsi quoque aliquam funis partem ad se trahendam dedisset.

Observa modo, unius solum trochlearum usum, non augendis viribus, sed solummodo sarcinam tollentis commoditatì inservire. Ubi Aristoteles crastum videtur commisere errorem, cum Mechanicorum suorum cap. 10. ad quæstionem,

cur onera facilius grandioribus, quam parvis attollantur trochleis, hunc in modum respondet. Nonne causa hæc est, quod quo diameter seu trochlea major fuerit, eo majus quoque sit spatium, quod æquali tempore absolvit? ή διόπτησων ἀν μετζων η ἐκ τῆς κέντρου η ἐν τῷ σωχρού χρόνῳ περιπλανηθεῖσιν. Facile persuadere sibi poterat, quod quemadmodum vechis A B sarcinæ in medio subjectus nihil virium addit homini 500. libras tollere non valenti, nisi eatenus, quod inservit oneri commodius, ac nudis manibus, ap-




prehendendo movendoque, ita quoque trochlea huic inserviat, ut facilius trahatur onus, dum corporis pondus cum brachiorum viribus & revera sola trochlea cum suo centro, quod in medio est, se conjungit; ita quidem ut, si ponamus vires nostras, quae non nisi centum libris attollendis sint pares, esse in B, onus vero sursum trahendum constitutum in A, sive jam diameter AB magnus fuerit sive parvus, vires tamen atque pondus in aequilibrio futura sint; Sed fune ad D descendente, vires brachiorum nostrorum, dum in eo sunt loco, corporis nostri, cui sunt annexa, pondere adaugeantur.

Nec vero existimandum est, cum trochleæ multiplicantur & Polypterus conficitur, de quo Vitruvius loquitur, vires non augeri. Ottendit enim hoc Cartesius exemplo secundo, ubi pondus trochleæ centro annexum est, contra morem trochlearum vulgarium, quarum diametrorum extremitatibus pondus annexi solet. Magnus hic mihi dicendi campus esset, sed multa omittenda sunt, ne in argumento, quod, qui in Geometria hospes non fuerit, proprio marte intelligere potest, sim justo longior. Schottum qui adire cupiat, inveniet magnum rarissimarum machinarum numerum, pro quibus, quantum ad earum usum attinet, spondere haud in me recipiem, et si earum inventionem defendere nunquam detrectem. Exercebit se ipsum, qui ipsarum partes imaginando resolvere velit, ut earum inter se relationem & connexionem eo melius perspicere queat.

*Si cui non plus virium, &c.]* Ex hoc intelligimus, quot gradibus vires augeri possint.

Quo enim magis planum AC transcendit altitudinem AB, eo magis vires tuas augebis. Ita si supponamus AC duplum esse AB, iisdem viribus, quibus cum nudæ essent, plures trahere non poteras quam




100. libras, duplum nunc attolles. Item quo magis planum erit inclinatum & ad planum horizontale BC magis delinabit, eo facilius quoque onus F moveri poterit. Ratio est, quod corpus eo major-

## TRACTATUS

rem acquirat gravitatem, quo magis linea, secundum quam moveatur, ad perpendicularē declinat; ita quidem, ut duobus ē corporibus illud, quod movetur in plano minus inclinato magisque ad perpendicularē lineam deflectente, majori etiam cum celeritate quam alterum deorsum feratur.

Notandum quoque est, planum quo magis sit inclinatum, eo majorem oneris ferre partem, minoremque relinquī, quæ in aëre gravitet: sed quia oneris pars in aëre gravitans est illa, quam manus nostræ tollunt, ideo fit sāpe, ut, quo planum sit magis inclinatum, eo minus in eo sustinendo aut tollendo manus nostræ laborent.




Quemadmodum, verbi gratia, si supponamus, AC esse planum duplo magis inclinatum quam DF, non est dubium, quin onus F respectu nostri duplo minorem gravitatem habiturum sit, quam onus H, & si plano DE impositum ducentas libras sua gravitate æquet, illud ipsum onus in planum AC translatum, ut est F, duplo minus grave sit futurum. Quando enim plano DE impositum est, tota pars QSR (seu  $\frac{1}{8}$  exempli gratia) in aëre existit, & QTR solummodo seu octava pars oneris in plano constituta est; cum ē contrario, si idem onus F consideremus constitutum in plano AC, non nisi MON seu tres de quatuor partibus in aëre sint, & tota quarta pars oneris seu MPN in plano requiescat. Plura, quæ omitto, hic affterri possent, ut principii, quod Cartesius sub initium Tractatus sui adduxit, veritatem ostenderem. Si enim vires duplo augeantur, id est, si onus hoc in situ duplo minorem habeat gravitatem, ac in alio obtinet, facilè etiam intelligitur, spatium BC duplo majus esse illo EF, immo quadruplum, si alia ratione consideretur, ita ut, quod ratione virium lucraberis, ratione tamen spatii perdendum sit.

*Sed tamen ab hoc calculo, &c.] Postquam ostendit Cartesius, levius reddi*

reddi onus (quod intelligendum est de onere respectu nostri, in se enim si consideretur, absoluta ipsius gravitas nulla ex parte aut minuitur aut augetur) si imponatur plano inclinato, & quo magis hoc planum sit inclinatum, eo facilius quoque moveri posse, nunc idem considerat tanquam in terra repositum. Supponamus, inquit, illud tantopere inclinatum, ut horizonti parallelum sit, seu quiescat in superficie terræ BC, tum à praecedenti calculo difficultas movendi corporis F super plano AC, magis vel minus polito & per omnes partes complanato, subtrahenda est. Sit enim verè BC superficies terræ, super quâ planum AC ita sit inclinatum, ut ei parallelum sit vel potius concentricum; jam si onus F è C in A moveri debeat, ubi situs plani per omnia æqualis fuerit, nulla hac in parte difficultas erit; sed quemadmodum planum hoc ex materia quadam confectum est,

ita nullum est dubium, quin ejus asperitas, partiumque inæqualitas viribus, quæ trahunt onus F, semper resistant. Quæ tamen resistentia tanto minor erit, quanto plani materia fuerit minus aspera magisque lævigata. Sicuti videmus globum argenteum facilius super plano eburneo moveri, quam rotam currus super pavimento. Hæc ad id, quod sequitur, illustrandum dicta sunt.




*Hoc tantummodo considerandum est, &c.]* Quod de plano AC, ut parallelo concepto, jam diximus, magnam ei, quod Cartesius ait, nimirum illud convexum esse debere, accendet lucem. Si enim planum hoc fuerit superficies plana & recta, ut AC, onus F tractum secundum lineam rectam, magis resistet, quam si per viam curvam, quæ tamen terræ aliqua ex parte sit concentrica, ducatur. Id quod nondum sufficit, cum linea concentrica, quam



## TRACTATUS

istud onus describit, actu monstratura esset, quod circa terram motum sit, ut ex C in B; verum uti non solum requiritur ut moveatur, sed & insuper, ut in altum trahatur, sequitur, viam, quam describit, à terra non posse non recedere. Sed linea




recta AC, quæ revera procedit è C in B, & eodem tempore simul à Centro terræ D, vel ejus superficie B recedit, viam, quam onus à terra levandum tenere debet, satis ob oculos ponit. Sed quia viam istam, quæ minus rudis sit, quamque corpus ex D versus A delatum, pro mensura qua fertur ex C in A, describat, quærimus; idcirco ut virium hic impendendarum calculus tam exactus sit, quantum esse potest, supponendum foret planum aliquantum convexum, non secundam lineam terræ superficie BC concentricam, sed secundum lineam spiralem, quæ efficeret, ut eodem tempore, quo movetur onus ex C in B, idem quoque recederet & ascenderet è B versus A. Vides itaque rationem, cur Cartesius, in supputandis viribus ad onus tollendum necessariis, duas istas conditiones observare debuerit, ut nimirum materia plani quam politissima, ejusque figura

figura spiralis esset descripta inter duos circulos AF, qui terminum, ad quem tendit & pervenit onus, designat, & BC, qui terminum, à quo procedit in longitudinem, significat.

Cæterum quia spatiæ & machinæ, quibus utimur, admodum exiguae sunt extensionis, hinc est, quod aut parum aut prorsus nihil interfit plana secundum haec figurarum genera supponere, quæ nunquam tam exactè construi possunt ut toti superficie terræ, cuius exacta rotunditas oculis nostris percipi non possit, respondeant.

Interim prætermittendum minimè est (occasione principii supra à Cartesio stabiliti, videlicet, iisdem viribus, quibus centum libræ tolluntur in altitudinem duorum pedum, etiam ducentas libras tolli




posse in unius pedis altitudinem, quod ut supra notavimus, fieri non potest, nisi intra spatiū seu tempus duplo longius illo, quo eadem spatiū, cuius hic fit mentio, non est illud, quod potentia describit, sed quod onus emeritur, vires solas centum libræ elevarunt) quod si CB sit altitudo, in quam ascendere debet onus H per planum DB, facile patet,

## TRACTATUS

teat, pondus F descendisse ad I, dum onus ascendit in F; FI verò est spatium duplum BC, altitudinis, ad quam onus pervenit; ac proinde quantum lucramur virium, tantum spatii aut temporis perdimus.

Ponamus itaque, BC unum pedem esse altum, & DB ejus duplum esse quoad longitudinem, id est, duorum esse pedum, dico jam, pondus




H consideratum in pede plani, si fuerit 200. libr. ab alio pondere 101. librarum in F affixo, tolli & attrahi posse, quia dimidia ipsius pars sustentatur à plano, in quo movetur.

Id quod non solum de corporibus sphæricis intelligendum est, sed & de reliquis omnibus, v. g. quadratis, rhombis, trapeziis, &c. Quod facili negotio licebit examinare, si ducatur linea perpendicularis AB, incidens in CD; segmentum enim triangulare EFG docebit quantum faciat planum inclinatum ad viribus parcendum; ostendet quoque, quod, cum EFG sit æqualis τῷ HFG, dimidia tantum pars oneris requiescat in CI, & reliqua pars media à pondere attollenda, sit CE; Quæ causa quoque est, cur DI, cum sit tantum media pars CI, si onus per se esset 200. librarum, non retineret plus gravitatis quam 100. librarum, scilicet hoc modo in isto plano quiesceret. E contrario vero id compensatur eo, quod pondus affixum in F, cuius gravitas 101. libras excedere non debet (unam enim libram adhuc illis centum adjicio ex industria, quia centum libræ exactæ in æquilibrio solum manjuræ essent) impendat deinde duplum temporis seu duplum ejus spatii, quod absolvisset, si 201. librarum fuisset, & stateræ fuisset una cum pondere immisum, percurrat. Et sane dum pondus descendit ex F in G, onus nondum ascendiit ex H in E, id est, ad altitudinem CL, quæ se habet ad CB, ut CB, ad DB. Idem pondus postquam descendit in I, onus erit jam sublatum in F, qui est terminus ad quem ascen-

ascendere debebat. Unde concludere debemus, quod, sicut altitudo CB tese habet ad BI seu DB spatium percurrente absolutum, id est, tangens ad secantem, ita quoque pondus tese habeat ad onus.


Occasione ejus quod dixi, pondus, quod natura sua est 200. librarum, si requiescat in plano, cuius inclinatio ad ejus extensionem sit subdupla, non majorem retenturum esset gravitatem quam 100. libr. Galilaeus de cochlearum potentia differens vehementer disputat contra Pappum Alexandrinum, ea propter, quod, cum examinare vellet oneris plano inclinato impositi gravitatem, illud tanquam in superficie horizonti parallela quiescens consideraret, ut postquam ipsi certam, v. g. 1000. librarum, si ita vis, gravitatem tribuisset, hoc ex fundamento, quanta ejusdem ponderis, si tanquam in planis diversimodè inclinatis quiescens consideraretur, futura esset gravitas, conjici posset. Dicit enim Galilaeus : *E questo falso, non si ricercando forza sensibile per mover il dato peso nel piano orizontale, postquam antea longè clarius supposuisset, quod Essendo il mobile constituito sopra linea Parallela all' orizonte, in essa sarà indifferente al moto, & alla quiete, si che da minima forza possa esser mosso.* Si onus, inquit, super linea horizonti parallela, & non inclinata existens consideretur, tum suâ naturâ & non habito respectu ad impedimenta externa, indifferens erit ad quietem vel ad motum. Quia in re Galilaeus fallitur, bonamque causam valde ineptis defendit argumentis. Falsissimum enim est, quod corpus per naturam suam ad quietem vel ad motum æque sit indifferens; cum è contrario corpus semper in quiete permansurum esset, nisi ab alio moveretur; primaque corporis idea, quæ illam extensionis, corpori essentiali, sequitur, sit idea quietis, quam nunquam deferit, nisi à fortiori deturbetur.

*Vis cunei, &c.*] Cartesius considerat hoc loco cuneum tanquam triangulum æquilaterum, quod è duobus conjunctis planis inclinatis,



nimirum ABD & C B D,  
compositum est ; vel, ut  
supra vidimus, quod pon-  
dus aliave potentia ad o-  
nus se ferre debet,  
ut tangens linea seu alti-  
tudo A B se habet ad se-  
cantem seu planum in-  
clinatum A D , consi-  
deravit corpus E fin-  
den-

dendum, quasi essent duo onera, quæ, quia partium illud constituentium mutuo nexu combinata sunt, tolli & separari difficulter possint. Adeoque supponit, integrum onus F G H i ducentos habere resistentiae gradus, viribus autem, quæ istud in duas partes dividere volunt, non esse præter 50. gradus. Jam si sumatur cuneus Triangulo rectangulo A B D similis: quia planum inclinatum A D est modo duplum A B, vis per naturam suam non habens nisi 50. potentiae gradus, non magis quam dupo augebitur, adeoque non poterit plures quam 200. resistentiae gradus, quos onus habet, superare. Si vero cuneus A B D sit talis, qualis exhibetur in figura secunda, ita ut planum inclinatum A D, per quod onus E ascendere debet, quadruplum sit A B, vel etiam si primo cuneo A B D jungatur aliis C B D, tum hæc vis illis 50. potentiae gradibus ad-



juncta, resistentiae oneris, et si vel 200. graduum fuerit, ad minimum æqualis erit. Si vero illam vincere velimus, oportet ut onus seu lignum dividendum inter & hanc potentiam eadem intercedat proporcio, quæ est inter totum A C & B D.

Nota hanc cunei actionem, quam Cartesius per planum inclinatum explicavit, aliter ab Aristotele demonstratam esse, Mechanicorum suorum cap. 18. ad problema, quod format, cur nimis mediocribus viribus durissimum corpus ope cunei diffindi possit, ipse respondet hunc in modum, ἡ διοτι ἐ σφήνα δύο μοχλοι εἰσιν ἐν τοις ἀλλήλοις, eo quod cuneus sit nihil aliud quam duo sibi invicem oppo-

oppositi & in diversas partes moti vectes. Quod itaque Cartesius plano tribuit inclinato, hoc Aristoteles adscribit actioni vectis, quæ eius sententia satis verisimilis est. Sed hanc controversiam in annotationibus ad tractationem de Vecte discutiemus.


*Loco funis, &c.*] Hæc Machina quam usitataissima est. Utuntur enim ea in Moletrinis, Suculis aliisque organis similibus, quibus gravissima onera moveri solent. Cum duplum ponderis attolli posse dicitur, si pars illa, cui annexebatur pondus, dentibus instruatur, qui dentibus alius rotæ, æque magnæ ac erat prima, insinuantur; & si rotarum numerus augeatur, vires quoque supra modum augeri; hic observandum modo est, quod multiplicari etiam in excessu possint, quoniam semper subtrahenda est resistentia, quam unaquæque rota exferit adversus vires quibus ad motum impellitur; quo neglecto, adeo multiplicari possunt, ut deinde tantum absit, ut mediantibus illis grave onus elevare possis, ut ne ipsasmet quidem solas, sine onere, circumagere queas. Sic pro ratione, quod magis minusve aliae aliis inferuntur implicanturque, difficultas etiam illas movendi fit major. Præterea quoque vires hisce rotis singulis seorsum movendis inserviendas subtrahi debent. Quod generatim circa omnes Machinas est observandum, à quarum potentia vires, quæ illis separatim regendi impenduntur, semper subtrahendæ sunt, ut si ad onus certo modo dispositum tollendum virium 50. gradibus esset opus, movendæ vero soli rotæ gradus decem inserviendi essent, 40. reliqui ad tollendum pondus adhibebuntur.

*Axis in Peritrochio, &c.*] Tota cochlearæ potentia facile perspicitur, si quis modo norit axis in Peritrochio & planu inclinati potentiam. Illa per vectem cognoscitur, hæc examine centri gravitatis. Ut vero difficultas hæc eo magis dilucidetur, supponendum est, quod si non nisi centum librarum onus solis suis viribus movere quispiam possit, idem rota usus, cuius diameter sit 10. pedum, modo supra explicato, ejus ope tale onus, cui movendo citra illam vix decem homines sufficerent, moturus sit.

Deinde suppone, id quod occasione cunei monendum à nobis fuisse, scilicet onus per planum inclinatum dupli modo sursum levavi posse, aut nimis onus fine trahendo, uti, cum de plano ageremus, ostensum est, aut planum sub onere, quod sursum ferri debet, propellendo, id quod fit, cum ope cunei corpus quoddam

## TRACTATUS

diffindimus. Sed quia nobis primaria de illa plani actione cura est, quæ posteriori fit modo;




Supponamus A B esse planum horizontale egregie politum, & onus quoddam sursum ferendum esse v.g. è P in D; hoc fieri non potest, nisi ducendo planum inclinatum aut triangulum solidum L E I ex B versus A. Utque ejus effectum eo exactius supputare pos- sis, pónamus 2. esse pedes inclinationis ad hoc planum, id quod erit altitudo L E; totidem quoque, id est, duos pedes ipsi plano tribuamus, qui constituant longitudinem B I, posito quod pla- num sit in B, & sic promoveamus illud per dimidios pedes.

Dico jam, interea quod totum planum procedit à B in E, per semipedis spatiū, onus ascensurum ex I in F, quod itidem semipes est quoad altitudinem; cumque adhuc ad semipedem promovetur ex E in G, onus ascendisse in K; porro ad semipedem illo promoto à G ad H, onus quod semper ab infra movetur sursum, ascendisse in M; cum denique planum pervenerit usque ad P, onus elevatū esse in O, quæ est data altitudo; itq; quidem, ut spatiū, quod onus F super plāno L I emetitur in altitudinem, ei, quod to- tum planum absolverit à B in P, æquale sit. Dico secundo, to- tum triangulum hunc solidum eodem officio respectu one- ris, quo fungeretur alias minor triangulus IOF, qui ipsi similis est

est & quasi continuatus in K, M, O. Dico porro, elevationem oneris futuram per motum tam rectum, ut nunquam recessura sit à linea perpendiculari DP, parallela LL; totumque D P I facere quasi semicochleam, onere, quod ascendit, vices quoque striati conceptaculi gerente. Dico denique, si onus hac ratione plano impossitum decies unius hominis vires superaret, eundem nihilominus illud attollere & super plano sursum ferre posse, uti jam explicuimus, modo planum hoc inclinatum vel triangulum solidum affigat cylindro, qui ope rotæ circumageretur, aut potius ope vectis cylindri diametro decies longioris. Nam juxta id quod de rotæ potentia diximus, planum sub onere promoveretur, unusque tantum homo illud sursum ferre posset, licet alias citra cylindri usum non haberet præter decimam partem virium ad producendum hunc effectum necessariarum.

De his tamen omnibus subtrahenda est resistentia, qua singulæ machinæ moventi resistunt. Id enim certissimum est, ad solam rotam cum cylindro suo, qui ipsi est instar axis, movendam, aliquas requiri vires. Opus est viribus ad vincendam plani horizontalis, super quo totum planum inclinatum promovetur, ruditatem & inæqualitatem; opus quoque est ad vincendam plani inclinati ruditatem, super quo onus sursum fertur. Sed hoc omne exigui est momenti, si cum viribus, quas machinarum ope acquiris, comparaveris.



Considera proinde cochleam tanquam cylindrum, circum quem complicatum quasi sit planum inclinatum, quod continuè à pede cylindri A usque ad B se extendat, & quod cylindrus hic ita compositus, qui cochlea appellatur, tanto plures acquirat vires exseratque, quanto dentes striatum conceptaculum intrantes acutiores fuerint, id est, quanto magis planum C D E inclinatum fuerit. Tum enim D E, quia est tantum dimidia pars C E,

duplas habebit vires. Observato quoque, vires seu potentiam se habere ad onus, ut plani inclinati longitudo ad suam altitudinem, colligi facile potest, quæ sit cochlearis potentia, si modo consideremus, quantum ipsius linea spiralis A F, longitudinem plani repræsentans, altitudinem excedat cylindri, qui ejusdem plani circum eum convoluti repræsentat altitudinem.

Observandum denique est, gemina in cochleis esse plana inclinata, perinde ut in cuneo: Sic si verbi gratia AB sit cochlearis cylindrus, CDE vero pars plani eum cingentis, manifestum est, hoc geminum esse planum ē CDF & CEF compositum, quod ideo est, quia hoc organo non solum ad sursum, sed & deorsum movendum, &c. familiariter utuntur.

*Locutus vero sum hoc loco, &c.]* Cochlea eo, quo diximus, explicata modo æque inservit oneribus elevandis ac premendis; nihilominus rotam denticulatam ei adjungere solent, ut in pluribus machinis & instrumentis, quorum structuram ipse conspectus melius docebit, quam figuræ, quibus repræsentare illas possemus, vide re est. Suppositis illis quæ jam diximus, ratio subduci facile poterit.

*Hac difficultas eo magis sentitur, &c.]* Sicuti instrumenta simplicissima sunt, quæ non augent vires nostras, ita quoque multimodis composita, quæ iis magnum afferunt augmentum, id habent incommodi, quod per se sola, & sine respectu ad affixum onus habito, quam difficillimè moveantur. Inde est, quod et si rotæ denticulatæ magnam habeant efficaciam, dentium tamen insitio machinam reddat ductu difficilem, imo exigui forent usus, nisi vectis, hic applicatus, vires adaugeret.


*Ponamus CH esse vectem.]* Vectis usum tam exquisite accurate que descriptis Cartesius, ut meditationes ipsius obscurarem magis, novas illustrationes adjiciendo, quam explicarem. Attende modo, onus M non ascendere æqualiter cum circulo, quem describit. Ponamus enim, potentiam movisse vectem ex A in B di midium AC; tum extremitas seu onus F erit in G, medio HF; nihilominus tamen onus & in G supra horizontem LR non magis elevabitur, quam in FS, quod ad OS se non habet ac FG ad GH. Non itaque juxta viam, quam onus permeat, mensurandum est, quantum supra horizontem elevetur, sed juxta lin eam OF horizonti perpendicularem, æqualemque suppositam semi-

semidiametro  $O\text{H}$ , vel etiam secundum totam  $K\text{F}$ , circuli ab  $O\text{H}$  descripti diametrum. Idcirco hinc concludit Cartesius,

potentiae ad pondus levandum rationem non sumendam esse juxta proportionem, quae est inter magnum & parvum circulum; sed secundum eam, quae est inter magnum circulum & minoris  $K\text{H}\text{F}$  diametrum, quod Mechanorum completes haud accurate satis observaverant.


Observemus præterea, mirandum non esse, si minorē offendamus resistentiam oneris ab  $F$  in  $G$  levandi, quam à  $G$  in  $F$ , et si utro-

bique onus horizonti sit perpendicularare: Dum enim onus absolvit viam  $F\text{G}$ , non tamen altius attollitur quam ab  $F$  in  $S$ , cum ē contra in spatio  $\text{GH}$ , quod est æquale  $F\text{G}$ , ascendat ex  $S$  in  $O$ , quod est longe majus quam  $F\text{S}$ . Unde liquet, potentiam, dum oneri ex  $F$  in  $S$  movendo tantundem temporis insumit quantum ex  $S$  in  $O$ , non tantam pati resistentiam, id est, minus tunc laborare, quam si æquali temporis intervallo longe majus spatium ipsi emetiendum foret; perinde ut minus laboramus defatigamurque, si unā horā emetiāmūr milliare unum, quam si duo ejusdem temporis intervallo absolvimus. Redit hoc ad principium, quo docemur, idem onus eo facilius moveri posse, quo plus temporis ei movendo insumitur, aut quo brevius ipsi spatium emetiendum, quemadmodum, de trochlea cum ageremus, commonstravimus; ubi diximus, si funis una extremitas ē clavo suspendatur, altera vero trahatur, trochleam cum suo pondere non altius elevari, quam ad dimidium viæ, quam aliqui percurrisser, si duo homines illam ab utraque parte traxissent, vel etiam unus homo tantundem habuisset virium, quantum duo simul. Unde concludi potest, potentiam, quæ tantum 100. librarum pondus mouere potest in  $C$ , ducentarum librarum pondus mouere posse versus  $F$ .



## T R A C T A T U S

*Ut vero exacte rationem inire possimus, &c. ] Cum planum circulariter inclinatum vocat Cartesius, id vult, ut in singulis circuli punctis totidem quoque plana concipientur, quorum unumquodque tantum differat ab altero, quam verum est, quodvis hujus circuli punctum*



non in eadem cum sibi proximo puncto linea & altitudine existere. Plana haec circulariter inclinata concipi facile possunt, si dimidium sumas sphæræ seu globi A B C, quantum potest, rotundi, è manu angelij cuiuspiam procedentis. Hic enim Globus, et si vel politissimus sit,

sit, quia tamen materialis est, idcirco partes eum constituentes divisibiles semper erunt, per consequens etiam extensæ, saltem in longitudinem & latitudinem, unde constituitur planum, quod per relationem ad certa puncta lineasve inclinatum dicetur. Nullum itaque punctum materiale hoc in globo monstrari potest, quod non sit aliquod planum, totaque hujus globi superficies ex infinitis parvis planis composita erit. Quod si jam supponamus, potentiam, quæ onus fune trahere vult, esse in A, vel (quod idem est) potentiam, quæ vectis ope istud onus moveare vult, esse in B, onus vero in D, movebitur tunc secundum planum FG; idem onus cum fuerit in C, potentia vero in E, movebitur secundum planum HI; Planum vero HI, longe magis inclinatum est, quam GF; idcirco etiam quanto HA minus est quam FA, tanto etiam minus resistet onus cum est in C, quam in D. Mensura proinde inveniri potest, quantum virium necesse sit ad onus vectis ope movendum,

vel ex relatione ad partes radii seu diametri AL, vel ex relatione ad lineas plana inclinata sustentantes, vel per laterum quadrata vel solummodo unum è lateribus; vel aliis sexcentis modis, quos Geometria in sinuum & logarithmorum usu docet.



Ad examinandum, quantæ vires ad pondus in I positum movendum requi-

rantur, parvo triangulo PN I, simili PRT, utitur Cartesius, TR se habente ad TP, sicut IN ad IP: Observandum modo est, quod, cum potentiam B ad pondus in G se habere dicit, ut tertia pars linea SM ad totam GM, vel potentiam D ad pondus in I se habere, sicut tertia pars IN ad IP, supponat vectis, quo utimur, partem OC esse triplam OH. Ex quo fit, ut si calculus virium, ponderi in G vectis BG ope tollendo necessiarum, secundum triangulum GSM subducendus sit, non nisi tertia pars lateris SM, quo planum inclinatum GM sustentatur, sumi debeat, ut calculus exactus sit, quandoquidem BO vel OC triplum supponitur OG. Hæc omnia *as ēν μερόδῳ dicta sunt*; minima enim eorum, quæ hac de re à Cartesio scripta sunt, consideratio non modo parvos, quos lectio cursoria relinquere potuisset, scrupulos

los eximere potest, sed & novam afferre lucem ad cogitationes ejus  
hic tantum in epitomen redactas latius fusiusque exponendas.

Quæ dixit de lineis GS & PN, quæ partes circuli terræ con-  
centrici esse debebant, horum quæ sit ratio, supra cum de plano in-  
clinato ageremus, vidimus. Ad verba, quibus hanc de vête tra-  
stationem ordiebatur, redeo. Erant autem hæc: *Ad finem usque di-  
stili de vête differere.* Evidem demiror, cur ab explicatione  
trochlearæ potius, quam vectis fecerit exordium, eumque vel ho-  
mini methodo ad hæc intelligenda non indigenti hæc scripsisse cre-  
diderim, vel ipsummet sensisse, quod reliquarum machinarum usus  
& effectus facile sine vectis cognitione intelligi possit. Sed, quem-  
admodum Cartesius in scientiis naturalibus neminem agnoscebat ma-  
gistrum, ita quoque ipsius mentem nemo melius, quam ipsem, ex-  
plicabit. Aperte fatis illam declarat Epist. 24. Volum. X. pag. 162.  
ubi, *Ridiculum est, inquit, rationem vestis adhibere velle in Troch-  
lea, quod Guidius Ubaldus, si recte memini, sibi persuasit.* Meritorum  
Guidii Ubaldi tam ignarus non fuit, quin eum tanquam hominem  
præclara imaginandi facultate præditum magni fecerit, noveritque,  
quantam princeps iste inter illustres & doctissimes sui seculi viros  
famam sibi acquisiverit, ita ut etiam ipsius parens laudibus eo no-  
mine mactaretur, quod filium haberet, qui majorem de se spem  
ostenderet, quam ab homine mortali expectari unquam potuisse credebatur.  
*Commincio à promettere* (inquit non nemo, illius  
consuetudine plurimum usus) *tanto di se, quanto non pareva che  
fosse licto sperare da uno huomo mortale.* Sed millo jam Guido Ubal-  
do, haud videtur ea fuisse Cartesii sententia, vectis cognitionem  
prorsus inutilem esse ad cæteras Mechanicæ partes intelligendas: In  
tractione enim de rota, & axi in peritrochio, naturals requirit  
ordo, ut de vête primum agatur; imo potius, (licet ea propter  
ipsius principium haud rejiciam) vectis cognitio cæteris omnibus  
Mechanicæ partibus videtur esse præmittenda, idque eo magis, quia  
dicente Aristorele, *μέρη τὰ ἀλιτήρια καὶ τὰ μηχανικά, τὰ τὸ μόχ-  
λον.* Omnia quæ ad motus Mechanicos pertinent, per vectem expli-  
cantur. Accedit, quod maxima eorum pars qui hac de materia  
scripserit, hac fere methodo usi sint, ut sub initium de vête ege-  
rint; Et quia de re tam parvi momenti serio hic disputandi ani-  
mus non est, hoc obiter solum monebo, trochleam in centro suo  
affi-

affixam, vectem esse, cuius fulcrum, Græcis τερμόχλιον, à mouendo ita dictum, in medio est, perinde ac stateræ brachia in medio e. g. A sustinentur.




Reliquæ trochleæ affixæ, aut in extremitate A sustentæ, funguntur officio vetis, alteri extremitati innixi, alterâ vero elevati, ut adeo rechami sint plures vectes, qui simul moventur & viribus pro numeri sui ratione afferunt incrementum.

Hujus veritas ut constet clarissima, consideres, quæsto, istam, quæ Græcis τερμόχλια πολύσπαστα dicitur, machinam, quâ per numerum trochlearum, quarum diametri sunt quasi totidem vectes alteri suarum extremitatum innixi, vires augentur. Cum vero istæ trochleæ fuerint extra πολύσπαστην, & uno ordine disponantur, facile patet (vecte extremitatum suarum alteri A innixo super fune alligato in B)


pondus, quod antea 200. librarum erat, jam non esse debere plurium quam centum, si quidem funis A Y medianam ejus partem sustinet. Si funem, quo 100. librarum pondus attollitur, circum trochleam C ducas, hæc trochlea, quia in centro suo non est non affixa, ad nihil aliud faciet, quam ut ipsius operae funis in trochlea facilius retineatur. Fac vero funem insisteret etiam orbiculo D, tunc pondus, quod per se non nisi 100. librarum est, retinebit modo 50; siquidem à vecte

F G, tuni GC innixo in G, reliqua 50. etiam sustinentur. Si  
f ad-




adhuc chordam hanc duxeris circum H, potentia hic nihil nisi  
commoditatem lucrabitur; sed si circumPLICaveris trochleæ I pon-  
dus sua natura 50. librarum existens, non amplius quam 25. erit.  
Quia trochleæ, rechamo superiori immissæ, commoditati tantum in-  
serviunt, nihil insuper viribus addentes, idcirco trochleæ usurpari  
possent eo modo, quem tercia figura repræsentat, ubi A F est mu-  
rus, cui nonnulli funes alligati sunt, qui singuli ad G tendunt;  
trochleæ vero E, C, B, sunt quasi totidem vesteſ, qui suis  
extremitatibus innixi pondus H in medio sustinent, &c. Vide  
Epist. 43. Volum. II.

Non trochleæ ſolum è vête facile cognosci poſſunt, ſed & iſum  
planum inclinatum, quod inter machinas peculiare genus conſtitue-  
re videtur, vête cognitioni multum debet. Reyeræ enim pon-  
deris,



colligere licebit, quantum adhuc restet potentiae ad levandum onus adhibendae. No-




deris, ab hoc plano sustentati, gravitas cognoscitur, si illud tanquam vectem per naturalis gravitatis ipsius centrum transeuntem supponas: Sit v. g. planum ABC, cui impositum sit onus; hujus gravitatis naturalis centrum sit F, per quod ducatur linea PO. Punctum contactus, ubi corpus contingit planum, sit N, è quo ducatur linea NM perpendicularis linea BC; Dico jam PO futurum esse vectem quæsumus, quo mediante scire possumus, quomodo MON se habeat ad MPN, cumque hæc pars MPN a plano inclinato sustineatur, hinc

f 2 tro-

trochlea; decidere. Utraque suas habet rationes, earumque in jura alia occasione fusius inquiremus. Cæterum quia res sua natura non magni momenti est, transeamus ad quæstionem, quam hisce notis præmittere debuissimus. Sed cum hic locus requirat, ut de Cartesio sermonem faciam, nec etiam aliâ à stylo Mechanico alienum aut novi quipiam videri debeat, usque huc de ea agere distuli, ne pluribus Mechanicæ exemplis illustrare deberem id, quod nunc ex solis propositionis terminis facile intelligitur.

Linea AB supponitur esse statera, cujus centrum sit C. Pun-




Etis DB annexa sint duo pondera, quæ stateram sistunt in que æquilibrio retinent. Si lon-

gius promoveas pondus D, transferasque versus A, brachium AC fiet fortius pondusque B secum tollet. Quæ effectus hujus sit cau-

sa, queritur.

Hæc difficultas, Aristoteli τῶν Ἰανυμάτων ἀρχῆς dicta, rerum mirabilium princeps seu maxime miranda, plurimis doctis crucem fixit, qui, licet diversas admodum sententias habeant, ad duo tamen hæc capita redeunt, pondus nimirum positum in A, cum, quando circa centrum suum C volvitur, longe sit celerius, necessario quoque secum auferre debere pondus B, quod est tardius, seu non gaudet eo celeri motu; quia altero magnum emetiente circulum AA, ad BB se habentem, ut AC ad CB, hoc non nisi parvum arcum



BB absolvit. Alii vero contendunt, spatium potius ponderis A, quod percurrit, quam celeritatem, quam acquirit, in considerationem hic venire debere; præsertim cum istam celeritatem non nisi pro ratione spatii percurrendo absoluti acquirat. Enimvero

sarto manente tectoque honore duarum harum sententiârum authentibus habendo, id quod queritur, tangere non videntur, siquidem, non habita ratione nec motus nec spati, difficultas indecisa semper manet, si queratur ex iis, quam ob causam pondus decem librarum in A æquilibre sit cum alio, quod est 20. librarum in B, qualemque actionem pondus A insinuet brachio AC, ad impediendum, ut ne à brachio CB, è quo duplum ponderis suspensum

sum est, simul auferatur. A Cartesio rideri novi Galilaeum, quod primam amplexatus sit sententiam, quæ est, pondus istud in A esse gravius propter celeritatem motus, quam ibi acquirat. Pulchre quidem exponit, inquit Cartesius, quod res ita sit, non vero, causam, cur ita sit, adducit. Sed responderi ipsi quoque posset, *Quid rides? mutato nomine de te fabula narratur.* Revera enim si causam majoris hujus effectus ponderis in A, quam in B, ex spatio esse dixeris, nihil aliud, quam rem ita fieri, non vero, quam ob causam, seu cur ita fiat, dices.

Dicebat aliquando mihi vir eximius, operibusque suis in lucem publicam emissis clarus, problema istud de ponderis gravitate, quæ crescat pro ratione, quâ à centro suo removeatur, sibi solitu facillimum videri. Pondus enim A, inquietabat, gravius est in A quam D, propter Hypomochlii seu fulcri D vicinitatem,



cui cum minus innitatur, quando est in A, ac cum est in B, magis etiam in aere quiescere deberet.

Quemadmodum, si v. g. gravitas ejus fuerit 12. graduum, & de his reponat 6. super B cum est in D, tum non nisi duos reponet cum erit in A, & sic ipsi reliqui erunt adhuc 10., loco ejus quod tantummodo sex residui ipsi essent in D. Nolui huic opinioni refutandæ tempus & operam impendere, cumque scopus meus non sit narrandi, aut literas ad varios hac de re datas transcribendi, paucis, quæ mea de hac quæstione sit sententia, exponam.


Si supponamus in statera A B, cuius brachia sunt A C & C B, pondus B 300. esse librarum & pondus A centum; dico, pondus A in æquilibrio mansurum cum B, & si quædam addantur unciae, pondus A elevaturum esse alterum B. Sed ut clarior nostra sit sententia, supponamus,



quod eodem redit, A B esse vectem innixum C, in B esse

onus 300. librarum, quod potentia vel vires hominis non nisi 100. libris tollendis pares sustinere nequirent, si supponeretur esse in D; quæ vero si collocetur in A, duplo magis augebuntur, adeo ut hoc in loco pondus trecentarum librarum elevare possint. Cui addas, obsecro, sequentes duas notas. Prima est, quod, si tres vectes A B, A C, A D (quorum singulos 12. pedum esse sup-

## TRACTATUS



ponimus) in tres partes æquales divisi, innitantur E, F, G; ita ut E L, F I, G H se habeant ad D E, C F, B G, ut C B in præcedente figura ad C A, hisque tria pondera B, C, D, quæ simul sumpta exæquent 100. libras, annexantur; illa tria pondera trium istorum vectium ope pondus trecentarum librarum in A sustinere possint.

Secunda est, potentiam communicare actionem suam, vel etiam pondus suam gravitatem, secundum certum

graduum numerum, vectemque illos recipientem certæ cujusdam capacitatibus esse debere, juxta axioma: *Omne agens ad modum recipientis recipitur.* Denique notandum, hanc actionem non in momento totum vectem penetrare, sed temporis successu, quod oculis nostris eo magis percipere poterimus, quo magis vectis, hanc actionem recipiens, in longitudinem vel crassitudinem extensus fuerit. Sed hoc exemplo fiet clariss. Si pondus 8. librarum sumas, idque stateræ brachiorum alterutri, quæ æqualia & singula unam e. g. libram gravitate sua exæquare suppono, annexas, hoc pondus 8. gravitatis gradus ipsi communicabit. Supponamus jam brachium istud ratione crassitudinis, & quod inde sequitur, etiam gravitatis augeri, tum, quia minor jam est, quam antea fuerat, differentia inter hoc auctum brachium alterumque ipsi oppositum, octo hi gradus erunt quasi perditæ. Sic contingere nonnunquam potest, ut trabis in æquilibrio positæ alterutri parti 10. librarum pondus adjungi possit, ut tamen altera pars haud tollat alteram, siquidem gravitas 10. librarum per vastam trabis hujus unius partis capacitatem dispersa ferme nihil esse videtur. Si denique augeatur hoc vectis brachium tantummodo ratione longitudinis, non autem quo ad crassitudinem, quam unius modo digitii esse supponimus, videbis, partes ponderi proximas se moturas esse, antequam illæ, quæ sunt

ver-

versus centrum, se quoque moveant; idemque hic fere usu ventrum, quod in funibus per gyros flexusque motis contingit, in quibus videre est, quemadmodum partibus remotioribus successive manuum communicetur motus.

His ita positis, respondeo, pondus junctum brachio A C æque grave esse debere, ac illud quod brachio C B adhaeret, etiam si hoc triplo gravius sit illo; siquidem pondus annexum in A tantundem gravitatis communicat brachio A C, ac pondus B brachio C B, licet hoc librarum esse novem, illud vero modo trium supponemus; ita ut pondera in ratione sint composita è ponderibus & brachiis. Commonstrandum igitur est, quomodo pondus A tantundem gravitatis communicet A C, quantum pondus B dat B C. Primo nimurum momento pondus A communicat tres gravitatis gradus parti A E æquali C B; insequente momento idem pondus A eidem parti A E tantundem gravitatis conferit, quae gravitas priori juncta 6. existens graduum per E D sese diffundit. Tertio momento, pondus A rursus tres gravitatis gradus communicat, qui reliquis additi novem gradus faciunt, leque per totum brachium A C, quod est triplum C B, expandunt. Pondus autem B 9. librarum, brachio C B non communicat, nisi 9. gradus, gravitatis, adeoque pondus A tantundem gravitatis communicat brachio A C, quantum B confert in B C. Idem proinde fit, quum A adjunctum est brachio A C, quod fieri solet, cum in A E D tria affiguntur pondera, quorum quodvis trium est librarum, sive jam concipiamus actionem hanc expandi & distribui proportione Arithmetica, sive alio modo. Concipe modo, actionem hanc ita distributam cesare, cum iterata limitatam subjecti recipientis capacitem excedit. Argumentum hoc confirmare melius haud possum, quam breviter narrando illas difficultates, quas hac in materia solvere conatus sum.

Objiceret fortasse quispiam, actionem hanc gravitatemque unoinstante seu momento productam esse; ac proinde frustra dici, quod de A E in D E, hinc postea in D C transmigret. Sed repono, perinde difficulter concipi posse integrum actionem hanc in momento productam, ac motum sine successione factum. Ut enim jam non inquiramus, quomodo actio seu potius impressio ab uno corpore transferatur in aliud, certo certius est, malleum, cuius massa majorem deseribit circulum, vehementius quoque ferire;

quia

## TRACTATUS


quia illo tempore majorem recipit impressionem , ac si minorem describens circulum minus diu quoque manibus agitaretur. Sic quoque , observante Cartesio , os vervecinum facile frangitur pūlvinari superimpositum , quod iisdem viribus in incude requiescens confringi non potest. Quia pulvinare , inquit , magis cedit , quam incus , facitque ut malleus illud contundens diutius huic ossi impositus maneat. Quod si ergo certum tempus ad effectum hunc producendum requiritur , momentum , quod nec manus nec minus admittit , sufficere non potest. Mille experimenta responsioni meæ autoritatem conciliabunt , quæ vero , ut aliud propositum mihi dubium resolvam , jam prætermitto.

Est vero tale : Potentia , vel pondus annexum in A , secundo instanti non potest plus , quam potest primo ; sive quia , et si tantum actionis secundo instanti producere vellit , quantum primo , actio hujus tamen , quia cessavit præterito instante primo , illius actioni nullum potest dare incrementum : sive quia pondus sua natura gravius non est instante primo , quam secundo. Huius dubio ut occurram , quod ad posteriorem partem attinet , facile concedo , pondus sua natura gravius non esse , instante primo , quam secundo , sed hoc etiam dico , actionem ipsius iteratam secundo momento junctam cum actione primi producere quasi aliud adhuc pondus , in A existenti æquale seu proportionale ; id est , eundem producere effectum , ac si pondus quoddam alteri æquale affixum esset in E. Quemadmodum , cum centum homines funem nauticum à duabus suis extremitatibus trahunt , eum minus intendunt initio , quam cum conatus suos iteraverunt. Horum etiam actionis graduum eadem ferme ratio est , quæ graduum caloris , albedinis , quorum magis aut minus dependet à certis , qui adduntur aut demuntur , gradibus , ut peripatetici non negabunt. Alterius vero partis , qua dicebatur , quod actio instanti primo producta cum eo esse prorsus desierit , falsitas per seipsum patet , ut ei refellendæ inhærente non sit opus. Alioquin enim ad pilam pellendam necessarium esset , ut palmula lusoria eam persequeretur continuo , sed nemo in dubium vocabit , actionem momenti spatio impressam sat diu durare posse.

Eruditus quidam Anglus hypotheses meas comprehendere studebat ; quia , inquietabat , si verum esset , gravitatem ponderis crescere pro mensura quæ trutinæ brachia augentur , sicut actio partis A transit


**e**x AE in ED eo modo, ut quo plures sint partes in AC, æquales lineæ CB, eo plus actionis habeat pondus A; hinc secuturum primo, quod quia partes AE, ED, DC, semper eadem manerent, ponderi A, prorsus libere locus assignari possit in E vel D, ipsius enim actionem se semper æqualiter in AC, ut antea, ex-pansuram. (2.) Si quemadmodum CA tripla est CB quoad lon-gitudinem, & æqualis quoad crassitudinem, eadem tripla reddere-tur ratione crassitudinis & æqualis CB quoad longitudinem, pondus A ob eandem rationem debere perinde grave esse quam B, quod ipsius gravitatem ter supponimus superare; Quod tamen fal-sum esse, experientia nos edocet.

Hæc sunt meo quidem judicio ea omnia quæ tanquam maxime stringentia huic materiæ opponi possint; quibus tamen respon-deo, quod ad primum membrum attinet, pondus in E positum longe alio modo agere super EC quam EA æquali EC. Quod ut probetur, esto vectis AB, cujus centrum seu fulcrum sit C, ut in B sit pondus 4. librarum, in A vero unius solum libræ pondus, sic in æquilibrio manebunt. Dices igitur, ex illa, quam affero, ratione, inferri posse, pondus hoc positum in E, eundem habiturum esse effectum. Quod quidem ego per-nego, quia pondus E, ad terræ centrum G, secundum li-neam EG tendens, omnem suam gravitatem exserit super EC, super



A E vero non nisi concomitanter & per accidens grave est. Alio-qui si æque grave esset super AB, necessario eodem tempore ten-detet

deret versus H, terminum oppositum G, aut versus I, quâ ratione corpora gravia recedere cogerentur à terrae centro, & ut verbo dicam, è gravibus fierent levia, quod esset jucunda quædam perversio. E contrario pondus in A existens totam vim suam exserit in A C, quia non potest tendere versus G, nisi impellat AC, quæ ipsi resistit, cogitque ad circulum E L G describendum; cum alias si liberum esset, lineam rectam AG sequeretur. Ex quo conficitur primo, pondus affixum extra stateræ seu vectis centrum, cum ista statera seu vecte describere angulum recto minorem, eundemque semper tanto reddi acutiem, quanto longius ab hoc centro recesserit. Secundo, nulla alia corpora ab eodem pondere impelli nisi quæ ipsi resistant. Quamobrem si non nisi stateræ aut vectis partes, juxta longitudinem AC sumptæ, ponderi E resistant, mirari non debemus, si pondus E 4. librarum alligatum brachio AC, et si triplo crassiori quam brachium BC, cui



junctum est pondus 12. librarum, non eundem habeat effectum, ac si idem brachium AC loco illius crassitudinis triplo etiam esset longius. Quia scilicet partes FG, non hoc modo resistunt ponderi EX; contra vero propria sua gravitate versus idem terræ centrum se movent. Verbo ut ab solvam, non nisi hæc partes brachii AC resistunt ponderi C, quod ad circulum inde circum C descendenter describendum impellunt. Solæ vero partes brachii AC secundum longitudinem, non vero crassitudinem FG sumptæ, pondus E ad describendum inde descendenter circulum impellunt. Ac proinde nullæ aliæ quoque ipsi resistunt, & consequenter à pondere E impelluntur.

Majoris illustrationis ergo suppono intelligi quæ Cartesius in suis principiis de motus legibus disseruit. Quæ vero, cum in dubium vocari non possint, nisi simul demonstrationes quam maximè convincentes impugnare quis velit, hoc loco non commemorabo. Tertio concludi potest, quod eruditus quidam Mathematicus Clermontanus ante aliquot annos observavit, pondera in æquilibrio esse, si triangularis summa unius, alterius summæ triangulari sit æqualis. Pluribus de hac quæstione, quæ Physicum totius Mechanicæ est principium, jam non agam, cum præsertim ejus difficultatibus satisficeret me existimem.

Cate-

Cæterum non dubito, quin propter festinationem, quâ hæ notæ conscriptæ fuit, errorem committere potuerim, quem seria attentio facile emendasset; sed si ita factum, eadem mihi venia ut detur obsecro, quæ spissorum operum pauca notatu digna continentium autoribus concedi solet, quæ olim, interprete Pocockio, eruditus Arabs legenda nihilominus suadebat, eo quod nimirum *scientia partis m'lior est ignorantia totius.*

F I N I S.

